

Aristot. cum obtineat. Nec quicquam tritius eo, quod ait libro Moralium Nicomachiorum secundo Aristotele: Ars & virtus in difficultibus versantur. Eodem pertinet litera Pythagoræ discrimine secta bicorni, & euangelium illud de via arcta, quæ dicit ad vitam, quæ constantia perficitur. Ut ingentes fluctus in rupem firmissimam impetu facientes, volentes eum frangere franguntur, ipso immobili permanente, sic molesta impedimenta virum stabilem tenentia, in eumque incurfionibus grauisimis irruentia comminuuntur, cum ille in proposito firmitudine rebus aduersantibus constans perseueret.

Id animo percipiens princeps quidam Italus constantia roboratus pro insigni te rebat ingentem petram fluctibus concussam cum litera hac: Constantia frangere Nazian. Et Gregorius Nazianzenus pro constantia salamandram ponit, quæ in medio igne omnia domant non solum vivit, & lætatur, sed illum penitus extinguit. Daniel & eius socij decreuerunt abstinentiam seruare, sed obtulit se illis impedimentum, & Asphenezi repugnantia, at in sancti proposito constantia manentes obtinuerunt à Malasare id, quo nihil tunc erat illis antiquius, nimirum ne illos ad regis quæssat compelleret.

¶ *Tenta nos obsecro.* Hoc est, fac periculum in nobis decem diebus: experire, possumus necne aqua & leguminibus absque macie, & formæ defectu sustentari, & vultuum pulchritudinem tueri.

¶ *Et sicut videtur, facies cum seruis tuis.* Ut conspexeris se habere vultus nostros, ita nobiscum facies. Hæc dixit Daniel admirabilis fidei magnitudine roboratus: Malasar autem eius precibus assensum præbuit.

D *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Porro Malasar tollebat cibaria & vinum potus eorum, dabatque eis legumina. Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni*

libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Complevis itaque diebus, post quos dixerat Rex, vi introducerentur, introduxit eos præpositus emuchorum in conspectu Nabuchodonosor. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis, vt Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. Et steterunt in conspectu regis. Et omne verbum sapientiæ & intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius. Fuit autem Daniel vsque ad annum primum Cyri regis.

¶ *Post dies autem decem.* Exactis decem diebus quibus pueri Hebræi vsi sunt leguminibus & aqua, vsi sunt vultus eorum lætiores, & obefiores carne, & pulchriores iis, qui regis epulis potiri fuerant. Considera, quanti ponderis sit fiducia in Deum cum virtute coniuncta: & pendere abstinentiæ præstantiam & amplitudinem.

¶ *Porro Malasar tollebat cibaria.* Hoc est portionem cibi & potus, eamque domum suam asportabat.

¶ *Pueris autem his dedit Deus scientiam.* Quia ciborum abstinentiam amplexati sunt. Est enim frugalitas ad scientiam comparandam vtilissima.

¶ *In omni libro & sapientia.* Hoc est, in omni literatura tam Hebræa, quam Chaldaea, & in omni genere doctrinæ & eruditionis. Aduerte, non ait: Adepti sunt hi pueri scientiam in omni libro & sapientia, sed dedit illis Deus scientiam. Nam vt ait Ecclesiasticus capite primo: Omnis sapientia à domino Deo est. Eam ob causam ei debemus illam attribuere, etiam si in studium literarum toto peccatore incumbamus. Illud etiam obserua, licere viris piis exemplo Danielis Gentium scientiam discere. Id intelligens diuus Hieronymus. Qui, inquit, de mensa regis, & de vino potus eius non vult comedere, ne polluat, utique si

Eccle. 1.

Hieron.

sciret